

Cellaris

Contenta.

D. BALTHASERIS CELLARII DISPUT.

1. Discussio Principuorum fidei capitum inter Protestantes et Pontificias controversarum. & Albrecht 57.
2. De Primo Religionis Christianae principio & Mttageman 57.
3. De Divina Rerum Scientia, futurorumq; contingentium præscientia. & Enckhüfen 59.
4. De Divina voluntate & Boning 59.
5. De Divina Bonitate & Hackeman 60.
6. De Nonnullis Scripturæ locis Divinae bonitatis in speciem contrariis & Hantelman 1660.
7. Aurea salutis catena c. 8. v. 29. 30. ad Rom. & Voss p. Lic. 1660.
8. De Principis Fidei Orthodoxæ controversiis & Rosa Ap. 57.
9. De Peccato Originis & Froboß. 60.
10. De Libero arbitrio. & Mejer 1652.
11. De Peccato & Ulrich 1654.
12. De Ecclesia & Born 1650.
13. De Republica spirituali seu de Ecclesia & Siebert 1651.
14. De Bonorum operum studio omnibus, qui salvari cupiunt, summopere necessario & Bercking 1651.
15. De Visione Dei & Lüden 59.
16. De cultu S. Mariæ virginis apud Pontificios p. Lic. & d. Sellanig.
17. De Communione sub utraq; specie. & Haberland 66.
18. De Scriptura Sacra. & Otton 19.
19. De Peccato Originis & Spuerel, 1650.
20. De Justificatione & Dürr. 21.
21. De Bonis justificatorum operibus & Linde 59.
22. De Sacramentis in genere et in specie de Baptismo & Confirmatione & Nödeman 1651.
23. De Eucharistia seu Coena Domini & Schmidt 1651.
24. De Poenitentia & Lupke 25.
25. De Extrema unctione & Mejer 1651.
26. De Communione sub utraq; specie et parvulorum & Heisius 52.
27. De Sacrificio Missæ & Froding 1652.
28. De Ordine seu Ministerio Ecclesiastico & m. Walmig 1652.
29. De Matrimonio & Goslar. 30.
30. De Purgatorio & Ottekop 1654.
31. De cultu Sanctorum & Gieseke 54.
32. De Sanctorum Reliquiis earumq; cultu et veneratione & Gecius 1656.

33. De Sacris Imaginibus & Alth 34. De Indulgentiis & Timae, 57.
 D. GERHARDI TITII Disput.

35. De Theologia in genere & Kleffel 68.

36. Ostensio summaria quod Pontificij dogmata sua sibi pe-
 culiaria non possint unanimi Scriptorum Ecclesiasticorum
 e quinque prioribus post natum Servatorem seculis superstitum
 consensus probare, 1658 Helmstedtj. in Cap. 16. Div.

37. Vitij Perbermanni animadversionis in ostens. Summaria Pontificij etc.
 Castigatio H. Epist. Heerm. Contrarij.

38. De Papa et Papatu Romano & M. Jollerij 1672.

39. M. Rup. Gthonis disputationes Acad. qbz controversa dogmata inter Protest.
 et Pontificios excutiuntur & Erhardus S. R. Comes Truchses de
 Weishausen S. R. C. R. Cam. Acad. a puriore Ecclesia devius
 ostenditur. 1653. sub psid. Titij.

40. Pila Sophistica de iudice controversiarum in negotio fidej
 g Adrian. et Petr. de Walenburg etc.

41. In primu et du Motiva Ill^{tri} Hassia Landgravii Ernesti nomine
 ab Adr. et Petr. de Walenburg consignata Animadversiones
 Theologicae.

42. Fruhlung des hildesheimischen Probiers Steinb Jar Buchum 10. Julij
~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~
 in pterator Markmann Conrad Henrici
 1653.

43. Anhang dar Fruhlung des hildesheimischen Probiers Steinb etc.

44. Kurze Heimführung M. Otto Sommerens Apoptata fuldisting
 alle für alle angesehen, groß der Beflex in der Fruhlung
 Titij, Anhang zum Jahr aller Hindlung.

45. Probier Stein Jar Buchum M. Lohse ~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~
 in Cor. Henrici 1653 zu selbstein ~~1653~~ ~~1655~~ ~~1653~~ ~~1655~~

46. Kurze Heimführung alle für alle angesehen, groß der Beflex in der Fruhlung
 Titij, Anhang zum Jahr aller Hindlung.

47. De MATHIOLIA Antiquitatis fuco à Pontificiis illita
 sub psid. D. Chr. Chemnitij & Hieron. Paffari Geni 1663

48. De Genuinis vera Antiquitatis notis secundum Vincentium Lerinei
 sem. eig in phanis fidei dogmatib autoritate et pondere sub Praesid
 D. Hildebrandt & M. Albus. 1660.

49. Canonizatio Sanctorum Pontificia sub psid. Xierannij
 & Nasser 1667.

Summelle!

7 9

00

10

24.
DISPUTATIO SEPTIMA
DE
POENITENTIA

Q V A M
D. O. M. A.

PRAESIDE
BALTHASARE CELLARIO
SS. THEOL. D. PROFESSORE
ORDINARIO ET SUPER-
INTENDENTE

Ad diem XXX. Augusti.

Publico examini subicit

IOHANNES LVPKE
Hannoveranus.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno clc lcc L.

DISSERTATION
DE
BOHNERPFLANZE

Q. N. M.

D. G. M. A.

T. A. L. D. E.

BAL. THASARE CEF LARIO
SS. THO. D. P. R. O. F. E. S. S. O. R.

ORINARIO ET SYPER
IN FINE NTE

Idem XX. Augusti

Publico ex officio

JOHANNES L. K. T.

Hanno 1784



H. F. M. S. T. A. D. L.
Typis M. N. N. I. N. G. I. M. E. L. L. I. A. C. A. D. T. Y. P.

Anno 1784





DISPUTATIO VII,
DE
POENITENTIA.
THESIS I.

Nondum omnia, quæ de Eucharistia decernere constituerant, Tridentini exposuerant, & ecce, ad alia decernenda dilabuntur. Placuit quippe illis in sess. xiv. quæ est iv. sub Julio III. & celebrata d. 25. Nov. A. 1551. doctrinam de Pœnitentia proponere, quapropter ut idem argumentum modò tractemus, instituti nostri ratio exigit.

II. Quamvis verò aliàs vox Pœnitentiæ generaliter accepta significet *passionem quandã animi, quæ venit de offensa sententiæ prioris*, ut ait Tertullianus lib. de Pœnitentia, seu, quod idem est, quamcunq; voluntatis mutationem, quæ ex displicentia alicujus facti, sive à nobis, sive de nostro consilio, admissi oritur, id quod Agellius l. xvii. Noct. Att. c. 1. indicaturus scribit: *Pœnitere tùm dicere solemus, cùm, quæ ipsi facimus, aut quæ de nostra voluntate nostroq; consilio facta sunt, ea nobis incipiunt displicere, sententiãq; in eis nostram demuramus*: Hoc tamen loco ita accipitur, ut denotet conversionem hominis peccatoris, à peccatis videlicet ad Deum, quæ usitatè in Scriptura N. T. μετανοια dici solet.

III. Dupliciter autem rursus, quantum ad præsens, poenitentia in Scriptura accipi solet. 1. ita, ut notet tantùm displicentiam & dolorem de peccato admissio, quo-

modo accipitur Marc. i. 15. quando Christus ait: *Pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Item Actor. xx. 21. ubi Paulus ait, *se testificatum esse Iudæis simul & Græcis, eam, quæ erga Deum est, pœnitentiam, & fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum.* 2. ita, ut notet anxietatem animi ob peccatum, cum fide Christi meritum apprehendente conjunctam, ut passim.

IV. Posteriori modo accepta Pœnitentia significat ejusmodi mutationem in animo peccatoris, qui, cum antea peccatis esset delectatus, ea ex lege Dei agnita detestatur, deq; eis admissis serio dolet, ita tamen, ut vicissim fide in Christum sese erigat, firmum habens propositum deinceps à peccatis abstinendi vitamq; suam in melius commutandi.

V. Et quidem, quod Pœnitentia aliquam in animo peccatoris mutationem importet, id dubium non habet. Præterquam enim quod ille, qui pœnitentiam agit, ea, quæ antehac maxima cum voluptate designabat, crimina toto pectore tunc averfari, ob ea admissa animo totus angere, vitamq; in melius commutare sibi proponit, adeoq; factam esse in animo mutationem evidenter demonstrat; Idem haut obscure indicat Scriptura, quando de pœnitentibus sic loquitur, quod *Deus Spiritum novum in visceribus ipsorum det, cor lapideum de carne eorum auferat & cor carneum illis tribuat* Ezech. xi. 19. Item quod *convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Sathane ad Deum.* Actor. xxvi. 18.

VI. Pro diversitate autem peccatorum qui sunt subiectum pœnitentiæ etiam diversa potest assignari pœnitentia. Cum igitur illi in triplici potissimè sint differentia: alij enim adhuc sunt catechumeni seu nondum baptizati; alij fideles quidem & baptizati, interim tamen in
gravia

gravia crimina iterum prolapsi; alij, licet in statu gratiæ sint & maneat, peccatis tamen quotidianis seu infirmitatibus sunt obnoxij: Ita & pœnitentia triplex constitui potest. Prima est eorum, qui primùm ad fidem adducuntur, baptizantur & Christiani fiunt, de qua intelligendus Iohannes baptista Matth. III. 2. inquit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Item Petrus Act. II. 38. ubi ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Vocari hæc Pœnitentia potest Catechumenorum. Secunda est eorum, qui post susceptum baptismum in magna & gravia scelera, hominem è statu gratiæ ejicientia, inciderunt. Et vocari potest pœnitentia lapsorum. Tertia est Christianorum seu eorum, qui licet pravis cupiditatibus morem non gerant, seu dedita operâ non peccent, tamen cum in multis adhuc labantur & pravos motus in semetipsis experiantur, Deum, ut istas infirmitates sibi condonare velit, necesse habent precari, & dicere cum Sanctis quotidie ex Oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hæc Pœnitentia vocari potest quotidiana, eò quòd quotidie eâ opus & sancti habeant: Item stantium, eò quòd renati, qui in gratia Dei adhuc stant, eam agant.

VII. Triplicis hujus Pœnitentiæ meminit S. Augustinus: Ita enim Epistola CVI II. ad Seleucianam scribit: *Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis, ita tamē, ut etiã baptizentur, sicut Scriptum est in Actibus Apostolorum (cap. II.) loquente Petro ad Iudæos & dicente: Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Domini Iesu Christi & dimittentur vobis peccata vestra. Agunt etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari & postea reconciliari mereantur,*
A 3 *sicut*

sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui proprie pœnitentes appellan-
tantur. De tali enim pœnitentia locutus est Apostolus Paulus,
(II. Cor. XII. 21.) ubi ait: Ne iterum, cum venero ad vos, humili-
liet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante pecca-
verunt & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxu-
ria & fornicatione, quam egerant. Neq; enim scribebat ista nisi
eis, qui jam baptizati fuerant. Habemus etiam in Actibus Apo-
stolorum (cap. XIX. 22.) Simonem jam baptizatum, cum pecuniã
vellet emere, ut ei per impositionem manus daretur Spiritus San-
ctus, admonitum à Petro, ut de hoc gravi peccato ageret pœni-
tentiam. Est etiam Pœnitentia bonorum & humilium fidelium
pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte no-
bis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
Neq; enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus
in baptismo, sed illa utiq; quæ humana fragilitati, quamvis par-
va, tamen crebra, subrepunt. — Propter hæc jeunia & elee-
mosynæ & orationes invigilant, in quibus cum dicimus: Dimitte
nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: manifestamus habe-
re nos, quod nobis dimittatur, atq; in ijs verbis humiliantes ani-
mas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non
cessamus.

VIII. Eadem l. de Pœnitentiæ medicina, vel Ho-
milia L. de Utilitate ac Necessitate Pœnitentiæ, ordine
tantum paulisper mutato repetit: Quam enim alibi ter-
tio loco recensuerat, hic secundo enumerat. Tres, inquit,
sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum vestra eruditio recognoscit.
Sunt enim usitata in Ecclesia & diligenter attendentibus nota.
Una est, quæ novum hominem parturit, donec per baptismum sa-
lutarem omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum. — O-
mnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum
accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris,
novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizan-
tur,

eur, soli parvuli sunt immunes, nondum enim uti possunt libera
arbitrio — Caterorum hominum nullus transit ad Christum, ut
incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat.
Hec prima Pœnitentia precipitur Iudæis dicente Apostolo Petro:
(Act. II.) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; ve-
strum in nomine Domini nostri Iesu Christi. Talis ab ipso Domi-
no imperabatur, cum diceret: (Matth. IV.) Pœnitentiam agi-
te, appropinquavit enim regnum cœlorum. De hac etiam Iohan-
nes Baptista plenus Spiritu Sancto, precursor & preparator via
Domini, ita dicit: (Matth. III.) Generatio viperarum, quis osten-
dit vobis fugere à ventura ira? Facite ergò fructus dignos pœni-
tentiæ. Altera verò Pœnitentia est, cujus actio per totam i-
stam vitam, quâ in carne mortali degimus, perpetuâ supplicati-
onis humilitate subeunda est — Vnde etiam orantes dicimus,
quod in tota ista vita oportet, ut dicamus, dimitte nobis debita
nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim
ea dimitti precamur, quæ jam in baptismo dimissa sunt, & nisi
dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: Sed utiq; de quotidia-
nis peccatis hoc dicimus. — Nam si non habemus peccata & tun-
dentes peçtora dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ex hoc ipso
certè & graviter & nullo dubitante peccamus, cum inter ipsa
Sacramenta mentimur. Quamobrem in quantum Deo nostro
fide, spe & charitate connectimur, & eum, in quantum possu-
mus, imitamur, non peccamus, sed filij Dei sumus. In quantum
autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte re-
soluta, nondum resurrectione mutata est, motus reprehensibiles
improbiq; surrepunt, peccamus. Quod utiq; fateri nos convenit,
ne durâ cervice, non languoris nostri sanitatem, sed damnatio-
nem superbia mereamur. Vnde utrumq; verissimè scriptum est.
(I. Ioh. III.) Et, qui natus est ex Deo non peccat: Et quod in
ead. Iohannis epist. legimus (I. Ioh. I.) Si dixerimus, quia pec-
catum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis

NON



non est. Illud ergo ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis
veteris dictum est: *Virumque enim agimus in hac vita.* — Ter-
tia actio pœnitentia est, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ le-
gis Decalogus continet. Et de quibus Apostolus ait: (Gal. v.) *Quo-
niam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Hæc ibi
Augustinus.

IX. Tertiam hanc pœnitentiæ actionem, seu eam,
quæ post intinctionem sive baptismum de gravibus cri-
minibus agitur, quam tamen in Epist. ad Seleucianam se-
cundo loco Augustinus recenset, Tertullianus vocat
Pœnitentiam secundam lib. de Pœnit. *Non, ait, succiden-
dus ac subruendus est animus desperatione, si secunda quis pœni-
tentia debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœni-
tere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum libe-
rari. Neminem pudeat. Iterata valetudinis, iteranda medicina
est; gratus in Domino extiteris, si quod tibi Dominus offert, non
recusaveris: offendisti sed reconciliari adhuc potes. Habes cui
satisfacias, & quidem volentem.* Potest tamen & bitem-
bris pœnitentiæ distinctio retineri, ita ut prima dicatur,
quæ ab adultis ante baptismum; Secunda verò, quæ post
baptismum ab illis peragitur. Rursus secunda pœ-
nitentia poterit dividi in eam, quæ ob venialia ac quoti-
diana, & eã, quæ ob gravia & mortalia peccata suscipitur.
Et ad hanc secundã secundi generis seu lapsorũ pœniten-
tiam potissimùm h. l. respicimus; quandoquidem apud
nos rari sunt, qui ætate in adulta nomen suum Christo
dant, ad fidem convertuntur & baptizantur.

X. Ad hanc verò Pœnitentiam requiritur I.
Contritio, quæ nihil aliud est, quàm dolor animi ac dete-
statio de peccato admisso ex lege cognito, cum propo-
sito in posterum non peccandi. Hunc dolorem Aposto-
lus 1. Cor. vii. 10. appellat *λύπη κατὰ θεὸν* *dolorem secun-*
dum

dum Deum, eò quod divinæ voluntati maximè convenit,
ut pœnitentes eo nomine doleant, quod Deum pecca-
tis suis offenderint & ad iram provocarint; porroq; di-
citur, *quod pariat ad salutem pœnitentiam hanc pœnitendam*
h. e. vitæ pristinæ emendationem, ut quæ talem dolorem
subsequitur. Hæc contritio includit 1. agnitionem peccati,
quæ per legem est. Rom. III. 20. 2. Dolorē de admissio peccato,
seu peccati detestationem. 3. Propositum à pecca-
to deinceps abstinendi, vitamq; in melius commutandi.
Qui enim seriò de admissio dolet peccato, illudq; ex ani-
mo detestatur, animum non inducet, illud repetere; quia
potius sibi proponet, id sollicitè vitare ac fugere.

XI. Requiritur 2. ad Pœnitentiam Fides, quo no-
mine denotatur ille peccatoris contriti actus, quò ad
Christum confugit, inq; promissionibus gratiæ, quibus
firmiter assentitur, & merito Christi omnem suam fidu-
ciam collocat. Hæc fides seu potius fidei actus ubi desi-
deratur, ibi Pœnitentia seu Contritio salutaris esse nequit;
Hinc rectè Augustinus vel quicumq; alius autor fuerit lib.
de vera & falsa Pœnitentia c. II. *Si*, inquit, *fides est funda-*
mentum pœnitentiæ, præter quam nihil quod bonum sit, appeten-
da est Pœnitentia, quam constat in fide esse fundatam. — *Pœni-*
tentia, itaq; quæ ex fide non procedit, utilis non est. Neq; id
diffitetur Cassander in Consult. ad Art. XII. de pœnit. *Ut*,
ait, *Contritio* (h. e. dolor de admissio peccato ex terrore
legis incussus) *salutaris & efficax sit, fidem seu fiduciam mise-*
ricordiæ accedere debere necesse est, ut exempla Cain & Iudæ ma-
nifestò declarant. Idem velle videntur Tridentini Sess.
XIV. cap. IV. dicentes: *Fuit quovis tempore ad impetrandam*
veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; & in ho-
mine post baptismum lapsio ita demum preparat ad remissionem
peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, conjunctus sit.

B

XII. Hi-

XII. Hisce igitur duobus constat pœnitentia, quæ
inter hic est ordo, ut Contritio tanquam naturâ suâ prior
præcedat, Fides verò tanquam naturâ suâ posterior se-
quatur. Vitæ autem novitas, quæ Pœnitentiam veram
excipit, rectius ejus fructus quam pars esse dicitur, juxta
illud Luc. III. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* In quæ
verba sic scribit Theophylactus: καρπὸν ἀξιοῦ τῆς μετανοίας
ἢ μόνον ἢ ἀποφυγὴν τῆς κακῆς, ἀλλὰ καὶ ἢ ἐπιχειρησὶα τῆς ἀγαθῆς.
τὸ γὰρ ὅτι καρπὸς καὶ γέννημα τῆς μετανοίας. τὸ ἐργάσασθαι τὸ ἀ-
γαθόν h. c. *Fructus pœnitentiæ non solum est fuga mali, sed etiam
operatio boni. Hoc enim revera est proferre fructum pœniten-
tiæ, si bonum operati fuerimus. Quamvis Apologia Aug.
Confess. non valdè improbet eorum sententiam, qui
vitæ emendationem tertiam pœnitentiæ partem consti-
tuunt. Nos, ait, de Pœnit. constituimus duas partes pœniten-
tiæ videl. Contritionem & Fidem. Si quis volet addere tertiam,
videl. fructus dignas pœnitentiæ h. c. mutationem totius vitæ &
morum in melius, non refragabimur.*

XIII. Tametsi verò homo de admissis peccatis do-
leat, & in anxietate animi constitutus ad gratiam Dei
Christiq; meritum confugiat: attamen quia Deus non
tantùm contritionem illam, quæ est secundum Deum
sed & fidem in homine operatur, viresq; ad hoc, ut deinceps
in novitate vitæ, sicut par est, ambulare valeat, be-
nignè largitur; ideo rectè dicitur hominibus dare pœni-
tentiam Act. v. 31. II. Tim. II. 25. *Et cor novum* Ezech. xxxvi.
26. *efficereq; ut homines in statutis Dei ambulent & judicia ejus
custodiant & faciant* v. 27. *Fisimè tene*, ait, Augustinus
l. de Fide ad Petrum Diaconum c. xxxi. & seq. *& nullatenus
dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, ni-
si quem Deus illuminaverit, & gratuita suâ miseratione conver-
tit.* Apostolus enim dicit (II. Tim. II.) *Ne fortè det illis Deus
pœnit-*

pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant à Diaboli laqueis. Firmissime tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis & Evangelij, sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire: sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratiâ suâ prævenit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & acceptâ divinitus bonâ voluntate atq; virtute mandata Dei facere & velit & possit. Neq; enim qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (1. Cor. III. 7.) Qui etiam operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. (Phil. I. 11. 13.)

XIV. Dat autem Deus homini pœnitentiam, sive hoc, ut à peccatis ad Deum sese convertat, non quidem immediatè, sed mediante verbo suo, ut quod est ordinarium instrumentum conferendæ gratiæ ad pœnitentiam ritè agendam necessariæ. Veluti enim verbo legis, quæ peccata detegit, iramq; Dei & pœnas temporales ac æternas peccatoribus denunciat, contritionem operatur, quam ob causam & *lex iram operari* dicitur, Rom. IV. 15. dum videlicet peccata, quibus Deus ad iram provocatur eorumq; pœnas manifestat: Ita contrà verbo Evangelij, quod animo contritis propter Christum remissionem pollicetur, fidem excitat: hinc & Apostolus Rom. X. 16. dicit, *fidem esse ex auditu* scil. verbi Evangelij.

XV. Hujus pœnitentiæ Effectus est Gratia Dei, Remissio peccatorum & vita æterna. Hinc ipse Deus Ezech. XVII. 1. 21. *Si aversus fuerit impius ab omnibus peccatis suis, que fecit, & custodierit omnia statuta mea, fecerisq; judicium & justitiam, vivendo vivet & non morietur.* V. 22. *Omnes pravaricationes eius, quas fecit, non commemorabuntur ei, sed in justitia sua, quam fecit, vivet.* Et S. Ioh. I. Ep. 1. 9. *Si confiteamur,*

ait, peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

XVI. De hac Dei gratia ac remissione peccatorum, ut poenitentes magis certi redderentur, Servator Apostolis & ipsorum in munere Ecclesiastico successoribus, verbi ministris, fecit potestatem solvendi peccata & remittendi dicens: Matth. xviii. 18. *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata in caelo, & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta in caelo.* Et rursus Ioh. xx. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.*

XVII. Quoniam verò solus Deus propriè remittit peccata, juxta illud Esa. xlii. 25. *Ego, ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idè propter me, & peccatorum tuorum non recordabor;* hinc potestas remittendi peccata, verbi ministris facta, alia esse non potest, quàm potestas annunciandi ex verbo Dei remissionem peccatorum. Sicut autem Deus solum poenitentibus peccata remittit; ita & verbi ministri non nisi talibus remittendi peccata h. e. remissionem peccatorum annunciandi potestatem habent. Si proinde unus vel alter sacerdotum euidam impio & impoententi, vel errore, vel metu offensæ, aut spe lucri inductus remissionem peccatorum nomine Dei annunciaverit, eam Deus minimè ratam habebit; sicut rursus ubi poenitenti gratiam Dei denunciaverit, id non minus ponderis habiturum est, ac si ipse Deus annunciasset.

XVIII. Et sic se habet lapsorum poenitentia, de qua cum primis Tridentini sess. xi v. agunt in multis à nobis dissentientes. Docent enim i. quod sit verè & propriè dictum N. T. Sacramentum. Ita enim sess. xiv. Can. i. De Sanctissimo poenitentiae Sacramento decernunt: Si

quis

quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

XIX. Quod ut rectiùs intelligas, notandum 1. Pœnitentiam lapsorum dupliciter considerari possit. prout in sola mentis conversione atq; interna peccati detestatione consistit. 2. prout etiam externis signis videl. mœrore, lacrymis, confessione & corporis afflictatione manifestatur. Non de prioris sed posterioris generis pœnitentia accipi volunt Pontificij, quando eam Sacramentum esse contendunt. Ita enim difertè tradit Bellarminus l. 1. de Pœnit. c. 119. *Potest, inquit, vera pœnitentia vel in sola mentis conversione atq; interna peccati detestatione consistere, vel etiam externis signis, mœrore, lacrymis, confessione, corporis afflictatione se prodere. Et quidem conversio illa mentis ad Deum etsi semper necessaria fuerit ad reconciliationem, & virtus quædam sit non exigua; tamen nisi signa externa adiuncta habeat, Sacramentum dici non potest.* Notandum 2. illos nec de omni pœnitentia exteriori, seu quæ per signa externa manifestatur, affirmare, quòd Sacramentum sit, cum ultrò largiantur, Ninivitarum & aliorum, qui ante adventum Christi vixerunt, ut & nondum baptizatorum pœnitentiam Sacramentum haut esse. *Neg,* ajunt Trident. Sess. cit. cap. 1. *ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentia tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittantur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

XX. Hæc itaq; est Pontificiorum sententia, lapsorum post baptismum pœnitentiam signis externis mani-

festatam, quando verbū absolutionis accedit, esse verum
& propriè dictū novæ legis Sacramentum, h. e. tale, quod
ex opere operato seu vi divinæ institutionis gratiam gra-
tum facientem, videlicet gratiam Dei & remissionem
peccatorum conferat.

XXI. Quamvis verò suprà fassi simus, pœnitentiæ,
prout ea in contritione & fide consistit, effectum esse re-
missionem peccatorum & gratiam Dei; neq; inficias ea-
mus, pœnitentiā illam interiorem externis signis mani-
festatam, seu ritum illum externum absolutionis sacer-
dotalis in Ecclesia receptum, Sacramentum appellari
posse, eò quòd dere sacra, seu remissione peccatorum
divinitus facta testatur: attamen quoniam per illum re-
missio peccatorum non confertur, sed tantum collata
esse indicatur; ideo satis causæ nos habituros confidi-
mus, quod sententiæ Tridentinorum non accedamus,
nemini interim litem moturi, si Pœnitentiā Sacramen-
tum appellaverit, modò non ab hoc ritu remissionem
peccatorum pendere dixerit.

XXII. Ut nihilominus Tridentini omnibus per-
suadeant, Pœnitentiā eò, quò diximus, modo confi-
deratam esse verè & propriè dictum Sacramentum, non
contenti sunt dogma hocce sub anathematis pœna defi-
nire; verum quid de ejus; insuper materia, forma & mi-
nistro credendum sit, prætoriâ auctoritate pariter decer-
nunt. Docent enim 2. materiam hujus Sacramenti esse
tres pœnitentis actus, videlicet Contritionem, Confes-
sionem & Satisfactionem. Ita enim ajunt Sess. dict. c. III.
*Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis a-
ctus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio. Qui quatenus
in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamq; & perfe-
ctam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur,*
hac

hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Iidem Can. iv. Si quis, inquit, negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videl. Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scil. incussos conscientia agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa esse peccata: anathema sit. Et ne quem forte turbet, quod Tridentini dicunt, esse quasi materiam, quo sensu id accipiendum sit, in Catechismo Romano part. II. cap. v. de Pœnit. Sacr. q. 12. exponitur. Non, dicitur ibi, hic actus quasi materia à Sanctâ Synodo appellantur, quia vera materia rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, & chrisma in confirmatione.

XXIII. Thomas duplicem materiam Pœnitentiæ assignat, remotam, scil. peccata, & proximam, nempe actus pœnitentis. Dicendum, inquit, p. III. q. LXXXIV. art. II. quod duplex est materia scil. proxima & remota: Sicut statua proxima est metallum, remota verò aqua. Dicitur est autem, quod materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, cujus materia sunt peccata, de quibus dolet, & quæ confiterur, & pro quibus satisfacit: Unde relinquitur, quod remota materia pœnitentiæ sint peccata non acceptanda, sed detestanda & destruenda. Nec aliter Cardinalis Hosius in Confess. Christiana Catholica Fidei, quam Petricoviensis Synodi nomine edidit, c. XLV. Est, ait, hujus Sacramenti duplex materia, propinqua & remota, sicut statua propinqua materia est metallum, remota verò aqua: Sic & in hoc Sacramento remota materia sunt peccata, non quatenus amplectenda, sed quatenus detestanda ac quàm longissimè propulsanda sint. Ut enim ignis maniam ligna esse dicimus, quæ in ignis consumuntur, ita peccata
qua

quæ pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia vocan-
tur. Proxima autem materia sunt actus ipsius pœnitentis. Hæc
Hofius. Ne tamen quis existimet, omnia & singula pec-
cata hujus Sacramenti materiam remotam esse, Valentia
t. iv. Disp. vii. q. i. de Pœnit. ut est Sacram. p. ii. notat,
Ea tantùm esse hujus Sacramenti materiam remotam, circa qua
pœnitentis actus versantur, h. e. ea omnia & sola, qua post bap-
tismum, committuntur & quorum pœnitentia propriè (h. e. dolor
de malo propria voluntate commisso) debet & potest esse.

XXIV. Constat sic, in eo Pontificios hodie con-
sentire, quod materia, scil. proxima, hujus Sacramenti
sint actus illi pœnitentis, Contritio, Confessio & satisfac-
tio, in quorum naturam aliquanto accuratiùs nobis in-
quirendum. Nomine igitur Contritionis intelligunt
Tridentini Sess. cit. c. iv. *animi dolorem seu detestationem de
peccato admisso cum proposito non peccandi de cætero*, dicuntq;
eam non solum cessationem à peccato & vitam novam propositum,
sed veteris etiam odiù continere. Cū verò dolor ille ex diver-
sis motivis oriri queat, hinc est, quod Contritionem porrò
dividunt in perfectam & imperfectam. Perfectam seu propriè
dictam Contritionem vocant *detestationem de peccato com-
misso, cum proposito non peccandi de cætero, ex motivo charitatis,*
seu detestationem peccati propter Deum summè dilectum. Im-
perfecta, quam & attritionem appellant, juxta eos est *de-
testatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero,*
ex alio motivo quàm charitatis i. e. ex aliquo motivo honesto, quod
non sit ipse Deus, quatenus est summum bonum, à quo peccatum
avertit. Quam distinctionem & Tridentini insinuant
loc. proximè citato dicentes: *Illam Contritionem imperfe-
ctam, que attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati*
consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si
voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, (sancta Synodus)
decla-

declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quò penitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quoniam nos non dicimus, quòd contritio ad eum modum comparata hominem faciat hypocritam, & magis peccatorem, ideò nos non ferit, quòd Can. v. vibrant fulmen, dicentes: Si quis dixerit, eam contritionem, qua paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat, annos suos, in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, — sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: anathema sit. Hoc, inquam, nos non ferit. Tantum obiter & quasi in transcurso notamus, illos, qui post baptismum per peccata Spiritum Sanctum, (qui ideò Spiritus dilectionis dicitur. 11. Tim. 1. 7. quòd caritatem in nobis operatur & fovet,) excusserunt & in peccatis mortui, ex motivo caritatis, seu, per caritatem inhærentem ad detestationem peccatorum moveri haut posse, cum caritate destituantur; licet non negemus, renatos, qui Spiritu dilectionis præditi sunt, per caritatem sibi inhærentem, quam Spiritus ille operatur, moveri posse ad hoc, ut de peccatis quotidianis ex infirmitate sibi obrepentibus doleant, eaque detestentur, tanquam divinæ bonitatis summopere adversa.

X X V. Alteram pœnitentiæ partem dicunt esse Confessionem, non quidem eam, quâ Deo delicta nostra exponimus, de qua intelligendus est Apostolus Ioh. 1. Ep. 1. 9. inquit, Si, confiteamur peccata nostra (Deus) fidelis

C

est.



*est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab
omni iniquitate; sed eam, quâ sacerdoti ea revelamus. Est
verò hæc secundum Leonardum Lessium in additiones
D. Thomæ quæst. vi. accusatio peccatorum facta sacerdoti
ad obtinendam virtute clavium absolutionem; vel, ut habet
Ioh. Maldonatus tom. ii. de Sacramentis c. i. de natura
confessionis, Est accusatio propriorum peccatorum apud presby-
terum ad obtinendam, per virtutem clavium Ecclesie, remissio-
nem peccatorum.*

XXVI. Hæc Confessio, ut rectè sese habeat, requi-
runt i. ut pœnitens omnia & singula peccata mortalia, quæ
post diligens conscientie examen memoriæ occurrunt,
cum omnibus circumstantijs speciem mutantibus, sacer-
doti confiteatur. Ita enim Tridentini sess. cit. c. v. *Opor-
et à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligen-
tem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione neces-
sari, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ulti-
ma Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gra-
vius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admit-
tuntur.* Et nonnullis interjectis: *Cum universa mortalia
peccata, etiam cogitationes, homines ira filios & Dei inimicos
reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta & ve-
recunda confessione à Deo querere.* Itaq; dum omnia, quæ me-
moria occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul
dubio omnia divina misericordia agnoscenda exponunt, qui verò
secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divine bonitati
per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat
agrotus, vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non
curat. His immediatè subjungunt, quæ sequuntur: *Colligi-
tur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas
esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa
neq; à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant;
& fieri.*

Et fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint,
Et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde
alienum à ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus
otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam
confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Quæ omnia de-
inceps anathemate firmant Can. VII. Si, ajunt, quis dixerit,
in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessa-
rium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata
mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmedita-
tione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima
Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mu-
tant — anathema sit.

XXVII. Hæc posteriora, ut rectius intelligantur,
notandum venit ex Becano theol. schol. de Sacr. c. xxxvii.
q. i. Circumstantias ad peccatum scil. mortale proprie
spectantes, esse duplicis generis: Quædam enim mutant
speciem peccati, ut furari in loco sacro, fornicari cum
conjugata aut consanguinea: Quædam, licet speciem non
mutent, aggravant tamen & minuunt peccatum intra
eandem speciem, cujusmodi sunt, quantitas, intentio, ma-
litia, ignorantia, passio &c. gravius enim est peccatum, si
quis alicui mille imperiales abstulerit, quàm si centum
auferat; gravius item est peccatum, quod ex malitia pro-
ficiscitur, eò, quod ex ignorantia fuit admissum. Prioris
generis circumstantias necessariò explicandas esse in Con-
fessione communiter Pontificij tradunt: ad eas verò, quæ
sunt posterioris generis, si numerum exceperis, neminem
teneri, ut sigillatim exprimat cum Becano l. dicto Valen-
tia tom. iv. Disp. vii. q. xi. p. i. & alij magno numero
tradunt, à quibus dissentit Maldonatus tom. ii. de Sacram.
c. iv. ubi docet & illas circumstantias, quæ quidem spe-
ciem non mutant, interim tamen mortaliter peccatum

augent, poenitentem necessariò confiteri debere.

XXIX. Similiter non necesse esse dicunt, ut quis sacerdoti exponat peccata venialia, quamvis id licitè facere queat. Ita enim rursus Tridentini Sess. cit. c. v. *Venialia, inquit, quibus à Dei gratia non excludimur, & in qua frequentius labimur, quinquam rectè & utiliter citraq; omnem presumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt.*

XXIX. Requiritur 2. ad Confessionem hanc Sacramentalem, ut fiat sacerdoti in secreto. Ita namq; Tridentini Sess. cit. c. v. *Quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesie offense adificationem delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc divino precepto mandatum, nec satis consultè humanà aliquà lege preciperetur, ut delicta presertim secreta publicè confessione aperienda. Unde cum à Sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimiq; consensu secreta confessio sacramentalis, quà ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam & inventum humanum esse, atq; à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Hoc Greg. de Valentia t. iv. disp. vii. q. xi. de qualitate Confess. p. i. sic exponit, ut dicat. Non esse quidem de Essentia Confessionis Sacramentalis, ut secreto (h. e. ut nulla persona tertia conscia) fiat, ut tamen ordinariè seu reguliter secreto fiat, necesse esse sub peccato mortali. Cujus rei rationem hanc assignat: Quoniam, inquit, ordinariè nemini licet sine justa causa sese infamare peccata sua prodendo. Atq; hinc facile intelligitur rectè & convenienter institutioni Christi fieri*

fieri confessionem secretè. — Oportet enim institutam à Christo confessionem non nisi rectè fieri, rectè autem non fit ordinariè, nisi secretè. Quare cum secretè sit, convenienter ipsi institutioni Christi fit.

XXX. Requiritur 3. ut minimum semel in quolibet anno confessio fiat. Sic enim Innocentius III. in Concilio Lateranensi decernit: *Omnis utriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis vivibus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum: nisi fortè de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christianam careat sepulturam.* Decretum hoc insertum est lib. v. Decret. Greg. de Pœnit. & remissionibus cap. XII. cujus etiam Tridentini mentionem injiciunt Sess. XIV. cap. v. dicentes: *Non per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur, unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hac S. Synodus maxime probat & amplectitur tanquam pie & merito retinendum.*

XXXI. Quamvis igitur, ut ex dictis liquet, Tridentini admittant, ex Ecclesiastico præcepto hoc manare, ut quis, ubi ad annos discretionis pervenit, semel in anno sacerdoti, ad eum, quem diximus modum, peccata exponere necesse habeat; attamen ipsam illam Sacramentalem confessionem à jure divino & institutione Christi accer-

sunt, unde ajunt cit. cap. v. *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & iudices, ad quos omnia moralia crimina deferantur, in quæ fideles Christi seciderint: quò pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant: constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neq; æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Idem deinceps sub pœna anathematis credendum proponunt Can. vi. & dicunt: Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino: aut dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

XXXII. Loca Scripturæ, quibus innitatur Sacramentalis illa seu secreta omnium peccatorum mortiferorum confessio cum circumstantijs speciem peccati mutantibus, à Pontificijs præcipuè tria adducuntur, quorum primus exstat Matth. xvi. 19. ubi Christus Petro dixit: *Dabo tibi claves regni cœlorum, & quicquid solveris super terram, erit solutum in cœlis.* Secundus Matth. xviii. 18. ubi rursus ait discipulis: *Quacumq; ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo; & quacumq; solveritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Tertius Ioh. xx. 23. ubi ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex hisce locis sic colligunt; cum Christus ibi Apostolis & eorum in officio Ecclesiastico successoribus potestatem judicariam

riam à peccatis in foro conscientie absolvendi contulerit, ea autem prius, quam causa fuerit audita & cognita, exerceri nequeat, omninò necesse esse ex Christi institutione, ut prius sacerdoti peccata exponantur, quam ille absolutionis sententiam pronunciare queat. Vid. Bellarm. l. III. de Pœnit. c. II. q. 18. p. 2. Becan. c. XXXVI. de Conf. q. 1.

XXXIII. Verum enimvero plus quam lynceos oporteat esse illos, qui in adductis illis locis talem, qualem Pontificij comminiscuntur, confessionem fundatam & à Christo institutam, deprehendere potuerint. Neque enim potestas remittendi peccata verbi ministris ibi facta, est judiciaria, aut in eo consistit, ut ipsi tanquam iudices pro tribunali sedentes, sententiam pronuncient; sed in eo sita est, ut veluti ministri Dei ex verbo, tanquam è tabula ejus, qui solus condonare potest peccata, sententiam recitare, & verè pœnitentibus gratiam remissionis peccatorum factam esse, denunciare possint ac debeant. Hæc verò potestas quoniam exerceri potest, sine prævia omnium & singulorum peccatorum mortalium explicita enumeratione, manifestum est, loca illa adducta, in quibus potestas remittendi peccata sacerdotibus tribuitur, confessionem illam sacramentalem haut evincere.

XXXIV. Neque desunt è Pontificijs Scriptoribus, qui à Christo Confessionem hanc institutam esse, apertè negant. Omnes enim, ut habet Maldonatus t. II. de Sacram. c. I. & III. Iuris Canonici periti seu Decretorum interpretes uno quasi ore dicunt, nullum præceptum divinum de confessione extare, sed eam jure Ecclesiastico introductam esse. Autor quoque Glossæ Decret. de Pœnit. Distinct. v. c. 1. de confessione peccatorum occultorum sacerdoti fieri solita, sermonem habens, ait: *Melius dicitur, eam institutam fuisse à quadam universalis Ecclesie traditione potius.*

potius, quam ex N. vel V. Testamenti auctoritate. Et si, ut expressè scribit Beatus Rhenanus præf. in lib. Tertull. de Poenit. *clancularia ista peccatorum confessio, Tertulliani tempore penitus fuit ignorata*, quis quæso adduci poterit, ut credat, eam à Christo esse institutã? Sanè Græcos Sec. iv. id non credidisse, vel ex eo apparet, quod Nestarius Episcopus Constantinopolitanus Confessionem privatam sacerdoti poenitentiario fieri solitam propter stupratam in templo à sacerdote mulierem omnino abrogavit, quem & cœteri in Oriente Episcopi hac in re sunt secuti; id quod sine dubio non fecissent, nec fieri permisissent, si eam à Christo institutam, adeoque ad salutem necessariam esse judicassent. Videatur interim Socrates l. v. hist. Eccles. c. xix. l. Sozomenus l. vii. hist. Eccles. c. xvi.

XXXV. Quod si igitur Confessio illa à Christo non est instituta, aut in Scripturis præcepta, neque ad remissionem peccatorum impetrandam aliquid conferet, neque partem poenitentiae, remissionem peccatorum efficientis constituet. Interim tamen non inficiamur, exomologesin illam peccatorum publicam, cujus mentionem faciunt Tertullianus l. de Poenit. & Cyprianus epist. x. & xi. olim Ecclesiae valdè fuisse salutarem, neque privatam illam seu auricularem confessionem omni commodo destitui; quandoquidem ad hoc conducit, ut rudiores rectius informari, perturbatae mentes solatio muniri, partes dissidentes reconciliari, & indigni seu notorii peccatores à sacra coena arceri commodius queant: quas ob causas etiam, de multis Pontificiorum abusibus, in nostris Ecclesijs ut utilis retinetur.

XXXVI. Tertiam Poenitentiae partem dicunt esse Satisfactionem. Intelligitur autem nomine Satisfactionis, *compensatio poenae temporalis, debita ob injuriam Deo per peccatum*

peccatum illatam, secundum aliquam equalitatem iustitia, & cum proposito saltem virtuali non peccandi imposterum, uti tradit Valentia, l. cit. quæst. xiv. p. 1. Ad cuius naturam plenius intelligendam notari oportet, eos statuere. pœnam, quam aliquis per peccatum apud Deum incurrit, esse duplicem, æternam nim. & temporalem, adeoq; & satisfactionem esse duplicem; unam pro culpa ac pœna æterna, alteram pro pœna temporali; h. l. verò intelligi satisfactionem tantum pro pœna temporali; cum pro culpa seu pœna æterna solus Christus satisfecerit. Vnde & Card. Hosius Confess. Christ. Cathol. fid. Petricoviensis Synodi nomine scriptâ cap. XLVIII. ait: *Satisfactio, quæ est ad culpam vel pœnam æternam expiandam, soli Christo tribuenda est. Solus ille factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, verum etiam totius mundi. Solus ille mortem moriendo destruxit, per eam pro peccatis nostris abundè satisfecit, per eam Patri suo cœlesti nos reconciliavit.* Ab hac tamen communi Pontificiorum doctrina abit Ioh. Maldonatus l. cit. cap. 2. de Satisf., docens, etiam pro culpâ pœnitentem posse satisfacere, quam sententiam aliquot rationibus ibi adstruere nititur. Et dubitare quis posset, annon Tridentini idem velint, dum dicunt, *divinam clementiam decere, ne nobis absq; ulla satisfactione peccata dimittantur, nosq; dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes effici.* Cap. iix. de Satisfact. Item *Pœnitentes per Christum Iesum satisfactionibus peccata redimere* Can. xiv. nisi forsan peccati nomen pro pœna eius temporali accipiant. Dicunt i i. remissâ culpâ non semper remitti temporalem pœnam. Ita enim Tridentini, cap. iix. de Satisfact. necessitate & fructu: *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condone-*

D

itur:

et: Et rursus Can. xii. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemq; pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt, Christum pro eis satisfacisse, anathema sit. Dicunt iii. Satisfactionem illam, quâ pœnitens Deo satisfacere dicitur, non esse exigendam ad veram & propriam æqualitatem, cum talis inter Deum & hominem locum non habeat, sed sufficere aliquam proportionē, quæ in eo consistat, ut homo faciat id, quod & potest, ipsumq; decet. Dicunt iv. Satisfactionem seu opera, quibus Deo pœnitentes satisfaciunt, sufficiens pretium ex se non habere, sed ex magno illo pretio à Christo persoluto illud impetrare. Neq; enim ajunt Tridentini cit. cap. i ix. *Ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Iesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus: eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: Ita non habet homo, unde gloriatur: Sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentia, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

XXXVII. Porro v. opera satisfactionis tria potissimum memorant, Eleemosynam, orationem & jejunium, non quòd plura sint, sed quòd adhæc cætera omnia commodè revocari queant. Hinc Maldonatus dicit. l. cit. c. iv. nomine orationis h. l. intelligi omne id, quod animo & cogitatione fit: nomine jejuniij, omnia opera, quæ vexant corpus sicut jejunium: veluti cilicium, verbera, peregrinationes, humicubationes &c. nomine eleemosynæ omnia opera misericordiæ. Hisce verò Satisfactionis operibus pro peccatis quoad pœnam temporalem satisfieri Tridentini audacter dicunt. Si, inquiunt, Can. xiii. *quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem*
minuat

minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neq; sponte susceptis, ut jeunijs, orationibus, eleemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atq; ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema fit Deniq; vi. tantam hujus Satisfactionis necessitatem esse volunt, ut nisi aliter, h. e. vel per indulgentiam, vel per cruciatus purgatorij, alicui post baptismum lapsa pœna temporalis peccato debita fuerit remissa, absq; ea regnum cœlorum ingredi vitamq; æternam consequi nequeat. Vid. Valent. l. dicto p. 2. Hæc illi de Satisfactione, quibus per omnia subscribere non possumus.

XXXIIX. Dicimus itaq; Christum ita pro peccatis humani generis satisfecisse, ut non tantum culpam, sed etiam pœnam tam æternam quam temporalem lucret: Ipse enim est, qui factus propitiatio pro totius mundi peccatis I. Ioh. I. 2. qui dedit semetipsum in pretium redemptionis pro omnibus I. Tim. II. 6. qui morte sua nos Deo reconciliavit. Rom. v. 10. Qui & factus pro nobis maledictio, ut à maledictione legis nos liberaret. Gal. III. 13. Quod vi veritatis adaus ipse Bellarminus l. I. de Indulgent. c. I. haut diffiteri potuit, sic scribens: *Merita Christi sunt res viva & sacra, sed non solum justificant corda, verum etiam satisfactoria sunt pro reatu pœna tum sempiterna, tum temporaria.* Quibus proinde remittitur culpa, illis etiam remittitur omnis pœna propriè ita dicta, Commentum ergo Pontificium est, quod culpam dimissam pœna temporalis luenda restet homini, pro qua Deo ipse satisfaciat.

XXXIX. Neq; obstat I. calamitates etiam post factam cum Deo reconciliationem hominibus quandoq; immitti. Non enim ideo id fit, ut ijs peccatorum pœna luatur, ac justitiæ divinæ satisfiat, sed partim, ut de peccatis ad-

his admissis admoneantur, eademq; imposterum majori studio devitent; partim ut occasio peccandi illis adimatur, juxta illud I. Petri IV. I. *Qui patitur in carne, desistit in peccato*; partim ut exercentur & probentur. *Qui dicunt, ait August. l. II. de peccatorum meritis & remissionibus c. XXXIII. si peccato mors corporis accidisset, non utiq; post remissionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, moreremur: non intelligunt (quodammodo) res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit: tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur & exercentur proficientes in agone justitia.* Et rursus c. XXXIV. *Dicimus ante remissionem esse illa (i.e. molestias hujus vitæ, dolores in partu) supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesq; justorum.* Idem & de cæteris calamitatibus post reconciliationem piis immixtis dicendum erit, quæ quoniam à Deo reconciliato non ad culpam vindicandam sed vitam emendandam infliguntur, pœnæ propriè dictæ rationem habere nequeunt.

XI.. Neque obstat II. veteres passim dicere, homines satisfacere Deo. Non enim hoc volunt, ac si hac ratione Deo satisfaciant, ut pœnam temporalem peccato post culpam dimissam debitam compensent, sed ut ea faciant, quæ ab illis, quibus Deus peccata non imputet, in verbo suo ipsemet efflagitat, v.g. ut de peccatis doleant, ea deprecantur, ablatum restituant & ad meliorem frugem redeant. In hanc sententiam scribit Augustinus Homil. I. de niti lit. & necessit. Pœnit. *Non sufficit mores in melius commutare & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus elemosynis.* Genadius quoque Massil. presbyter I. de Ecclesiast. dogmat. c. LIV. postquam dixerat, *Pœnitentiæ veram esse, pœnitenda*

non

non admittere, & admissa deflere, subjungit: Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. Et si talem satisfactionem Pontificij intelligerent, nulla inter eos & nos ea de re controversia reliqua foret. Rectissimè Cassander in Consultat. ad art. XII. de Pœnit. & Satisfact. ait: De hac satisfactione non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesia sententia hunc in modum doceatur, quod sola passio & mors unigeniti filij Dei sit satisfactio & propitiatio pro peccatis nostris, sive eo, quod ex origine contraximus, sive iis, quæ ante vel post regenerationem ex carnis infirmitate commisimus, quæ satisfactio offertur & applicatur nobis ministerio Evangelij i. e., verbi & Sacramentorum: accipitur autem fide, quæ & ipsa Dei donum est. Quamvis autem virtute hujus satisfactionis Christi & culpa & pœna eterna peccato debita deleatur, certum est tamen, Deum à pœnitentibus ob graviora præsertim delicta, lacrymas, jejunia, preces, Eleemosynas & reliqua verè pœnitentis animi indicia, ac deniq; totius vite in melius immutationem ac emendationem requirere, quod cum facimus, Deo satisfacere pro peccato dicimur, non quod precium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus: sed quod officia illa præstemus, quæ Deus à peccatore, cui filij sui satisfactionem impartiri velit, requirit. Hæc ille. Et aliâ ratione pro peccatis seu eorum pœnis nemo satisfacere Deo potest.

XLI. Nec obstat III. etiam in Vet. Ecclesia post baptismum in graviora crimina lapsis à præfectis Ecclesiæ non tantum certa pœnitentiæ tempora fuisse assignata, sed & quædam opera injuncta, quæ præstare necesse habebant pœnitentes prius, quàm cum Ecclesia in gratiam redire & ad communionem admitti poterant. Hæc enim opera non ideò illis imponebantur, ut Deo pro peccatorum pœna satisfacerent, sed ut alij à similibus deterrerentur, ac Ecclesiæ ejusq; disciplinæ aliquâ ratione satisfieret.

-ingū

D 3

Indicat



Indicat hoc Augustinus, Enchirid. c. lxxv. quando scribit: *Neq; de ipsis criminibus, quamlibet magnis, remittendis, in sancta Ecclesia Dei desperanda est misericordia, agentibus pœnitentiã secundum modũ sui cuiusq; peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit à Christi etiam corpore separatur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris: Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumq; dolor alterius cordis occultus est alteri, neq; in aliorum notitiam per verba vel quacung; alia signa procedit, cum sit eorum illo, cui dicitur, gemitus meus à te non est absconditus, rectè constituuntur ab his, quæ Ecclesia præsumt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eam quippe non remittuntur. Ecce disertè ait Augustinus, pœnitentiæ tempora, adeoq; & in illis præstanda, ab his, qui Ecclesiæ præsumt, idè pœnitentibus assignari, ut Ecclesiæ satisfiat, non verò ut Deo pro pœnis temporalibus peccato post culpam remissam debitæ satisfaciant; in qua sententia nos & merito acquiescimus. Et tantùm de materia, quam Pœnitentiæ Pontificij assignant.*

XLII. Sicuti autem pro materia hujus Sacramenti proxima venditant Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, ita porrò III. docent, Formam in illis verbis sacerdotis, EGO TE ABSOLVO, contineri. Sic enim ajunt Tridentini Sess. sæpius cit. c. III. *Docet præterea S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quadam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiã nequaquam spectant, neq; ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessaria. Notat autem Valentia t. IV. disp. VII. q. I. p. 3. duo tantùm in illis verbis, Ego te absolvo, esse de Essentiã, videl. TE & ABSOLVO, cum, si dicas, ABSOLVO, idem signifi-*

significes, ac si dixeris, EGO ABSOLVO. Et hæc verba tantum ponderis habere dicunt, ut quàm primum illa sacerdos protulerit, statim peccata omnia contrito & confesso remittantur.

XLIII. Ne quis verò miretur tantam horum verborum vim & efficaciam, sciendum est, juxta Pontificios sacerdotes, ut ministros hujus Sacramenti, constitutos à Christo esse judices illisq; hanc potestatem factam, ut ab ipsorum absolutione remissio & culpæ & pœnæ æternæ dependeat. Hoc Tridentini tradunt non tantum cap. II. & V. sed etiam seq. VI. ubi absolutionem sacerdotis instar actus judicialis describunt, dicentes: *Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio: tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis: quo ab ipso, velut à judice, sententia pronunciat, atq; ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem verè & coram Deo esse absolutum, Iuxta Tridentinos itaq; absolutio seu remissio peccatorum à sacerdotibus in tantum dependet, ut, nisi animus illis fuerit, pœnitentes absolvere seu peccata illis remittere, verè & coram Deo absoluti nequeant pronuciari. Et hoc ipsum inter alia Can. IX. tanquam creditu necessarium omnibus imperant. Si quis, inquit, dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuciandi & declarandi remissa peccata confitenti, modò tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non seriò sed joco absolvat, aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: anathema sit. Et sanè, si, ut Pontificij docent, vi verborum Christi Matth. XII. 18. & Ioh. XX. 23. sacerdotes*
reipsa

re ipsa à culpa & poena æterna absolvere possunt, penesq; illos stat, quos absolvere velint ac nolint, fateri oportet, magnam illorum esse potestatem. Vnde & in Catechismo Rom. p. II. c. v. q. 15. *Ampla potestas* appellatur. Verba I. cit. hæc sunt: *Meritò peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in Ecclesia sacerdotibus tribuerit. Neq; enim, ut olim in Veteri lege sacerdotes testimonio suo aliquem à lepra liberatum esse duntaxat renunciabant, ita nunc in Ecclesia ea tantùm potestas sacerdotibus facta est, ut aliquem peccatis esse absolutum declarent, sed verè tanquàm Dei ministrò absolvunt: id quod Deus ipse gratia ac justitia autor ac parens efficit.* Facta autem est hæc potestas juxta Pontificios non minus impijs, quàm pijs sacerdotibus, unde Tridentini cit. cap. vi. docent, *Etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Sp. Sancti in ordinatione collatam, tanquàm Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosq; pravè sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt; quod infra repetunt Can. x., anathema denunciante ei, qui dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere.*

XLIV. Ut tamen absolutio sacerdotis valida censeatur, requirunt Tridentini, ut ab eo fiat, qui jurisdictionem aut ordinariam, aut subdelegatam, in eum, quem absolvit, habeat. *Quoniam, inquit, natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei, & verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Veluti autem pastor loci ordinarius in eos, quibus præest, cum suo episcopo & Pontifice Romano juxta Pontificios ordinariam, ita quibus sacerdotibus illi potestatem absolvendi fecerint, delegatam jurisdictionem habere putantur. XLV.

XLV. Quoniam verò non omnes, qui ordinariam aut delegatam jurisdictionem habent, pari potestate, secundum eos, sunt præditi, inde est, quod non omnibus liceat, ab omni peccatorum genere absolvere. Magnopere, ajunt, Tridentini cit. cap. vii. ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis patribus visum est, ut atrociora quadam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neq; dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuiq; diocesi, in adificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis subditis tradita, supra reliquos inferiores sacerdotes, auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorũ reservationem consonam esse divinæ auctoritati non tantum in externa Politia, sed etiã coram Deo vim habere. Huc quoq; spectat Can. xi. quò idem sub pœna anathematis definitur. Si, inquiunt, quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam Politiam, atq; ideò casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos à reservatis verè absolvat: anathema sit. Ex mente itaq; Tridentinorum Pontifex Romanus & Episcopi possunt quædam remittere peccata, à quibus tamen inferiores sacerdotes neminem ordinariè absolvere queunt. Dicimus ordinariè: ubi enim mortis periculum imminet, quibusvis sacerdotibus in Ecclesia Romana integrum est, quoscunq; pœnitentes à quibusvis peccatis absolvere, id quod Tridentini, cit. cap. vii. hisce significant verbis. Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atq; ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.

E

XLVI.



XLVI. Casus autem speciales sedi Apostolicæ reservati, in Constitutione Pauli II. l. v. Extrav. comm. tit. ix. de Pœnitentiis & remissionibus cap. 111. inserta, & publicata A. 1466. hi memorantur: nempe *Offensa Ecclesiastica libertatis, violationes interdicti ab eadem sede impositi, criminum heresis, conspirationis in personam, aut statum Romani Pontificis, seu cuiusvis offense, inobedientia, seu rebellionis eiusdem Pontificis, vel sedis apostolicæ, presbytericidii, offense personalis in Episcopum, seu alium prelatum, invasionis, depredationis, occupationis, aut devastationis terrarum Romana Ecclesie mediatè vel immediatè subiectarum, ac etiam invasionis Romipetarum, seu quorumcumq; aliorum ad Romanam curiam venientium: prohibitionis, devolutionis causarum ad dictam curiam, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impositionis novorum onerum realium vel personalium Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis: Simonia super ordinibus vel beneficiis assequendis, in eadem curia vel extra contracta.* Ab hisce memoratis casibus, vi hujus Constitutionis, nulli sacerdotum sine peculiari Pontificis indultu, aliquem licet absolvere; atrocius quippe crimen fuerit interdictum Pontificis Rom. quàm ipsius Dei violare, & incestum adulterium aut stuprum committere; Rom. Pontificem ullo modo offendere, quàm pejerare, Romipetam invadere aut personam Ecclesiasticam tributum imponere, quàm Regem occidere.

XLVII. Verùm commentis hisce Pontificiis sine dubio eo fine excogitatis, ut dignitatem cleri supra omnia extollerent, suffragari non possumus. Dicimus itaq; remissionem peccatorum à sacerdotibus, & hisce eorum vocibus: *Ego te absolvo*, non ita pendere, ut quos illi seriò non absolverint aut verè absolvere intenderint, verè & coram Deo absoluti censendi non sint, adeoq; perire necesse habeant. Est quidem ministris verbi à Christo facta potestas peccata pœnitentibus remittendi, quæ tamen non importat aliquam remissionis efficientiam, sed tantummodò annunciationem remissionis peccatorum à Deo factæ. Si proinde sacerdos verè pœnitenti peccata remittere nolit, aut seriò non absolvat, hoc non obstante, ipsi Deus peccata remittit; imo, nisi Deus remiserit, ipse Sacerdos remittere non poterit, quando quidem remissio peccatorum à sacer-

dote

dotē quæ fit, præsupponit remissionem factam à Deo; quia, ut diximus, ea nihil est aliud, quam remissionis peccatorum à Deo factæ ex verbo Evangelij annunciatio seu declaratio. Facit nobis eum Hieronymus comment. in cap. Matth. xvi. ubi hæc verba Christi: *Dabo tibi claves regni cælorum, &c.* explicat, ad quem locum lectorem remittimus.

XLVIII. Eandem sententiam multi è Scholasticis, quos citat Valent. t. iv. Disp. vii. q. i. de Pœnit. p. iii. amplectuntur; quibus quasi viam prævit princeps eorum Petrus Lombardus, dum l. iv. sent. dist. xix. scripsit: *Dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata & retinet & tamen Ecclesia contulit potestatem ligandi & solvendi, sed aliter ipse solvit, vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum: qui & animam mundat ab interiori macula & à debito æternæ mortis solvit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi & ligandi i. e. ostendendi homines ligatos vel solutos. In solvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos. Non minus itaq; huic, quam nobis Tridentini anathema can. ix. dicunt.*

XLIX. Nec obstat, quod Christus dixerit: *Quaecumq; solveritis in terra &c. item quorum peccata remisseritis &c.* quæ verba, si ut sonant, accipiuntur, nostræ sententiæ haud parum adversari videntur: *solvere* enim propriè non significat solutum declarare, neq; *remittere* remissionem annunciare, sed reapse & verè solvere & remittere; id quod etiam magnopere urget Valent. cit. disp. vii. q. i. p. 3. Etenim si vi horum verborum Christi sequitur, sacerdotes posse revera solvere & remittere peccata, quæ Deus nondum solvit & remisit, ad eundem modum inferre licebit, eis & potestatem esse factam, ligare seu devincire peccato eos, qui tamen eo apud Deum obstricti non tenentur, vel quod idem est, in reatu eos detinere, qui tamen in reatu apud Deum non sunt; cum similiter Christus dixerit: *Quaecumq; ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo & iterum: Quorum retinueritis peccata, eis retinentur.* Cum igitur posterius hoc tanquam manifestò absurdum, ex verbis Christi non inferre liceat, neq; illud prius vi verborum Christi colligi poterit; quin potius, uti *ligare & retinere peccata h. l. est ostendere aliquem esse in reatu*

apud Deum, vel peccato obstrictum: ita solvere & remittere peccata erit, declarare aliquem esse solutum, vel remissa ei esse peccata. Solus Deus ait Hugo de S. Vi&t. l. i. de Sacramentis, officiis & observationibus Eccl. c. 25. peccata dimittit, — Sed sacerdotes peccata dimittere dicuntur, quia Sacramenta ministrant, in quibus & per qua peccata autoritate divinâ dimittuntur. vel ideo sacerdotes peccata dimittere dicuntur, quia eum, qui pro peccatis suis excommunicationis vinculo ligatus fuerat, absolunt. In quo suo modo peccata dimittunt: quia eum propter precedentia peccata non amplius debere vitari ostendunt. Retinent autem peccata iterum & iterum, ut magis vitentur, excommunicando.

L. Quemadmodum autem, dum ministri Ecclesie aliquem solvunt, qui apud Deum peccato obstrictus tenetur, seu quod idem est, dum remissionem peccatorum alicui denunciant, cui Deus nondum peccata remisit, hoc ipso ei minimè prodesse queunt: ita nec, si aliquem ligaverint, qui tamen à Deo est solutus, seu alicui, qui in gratia Dei est, ejus iram æternamq; damnationem denunciaverint, aut eum excommunicaverint, salutem ejus quicquam oberit. Agnovit id sec. iv. Hieronymus, cujus verba ap. Gratianum Caus. xxiv. q. iiii. c. 4. hæc sunt: Si quis non recto iudicio eorum, qui præsunt Ecclesie, depeletur & foras mittatur, si ipse non ante exiit, h. e. meretur exire, nihil leditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur. Nec aliter judicat Augustin⁹ Sec. v. ap. Grat. c. xi. q. iiii. c. 87. In eandem quoq; sententiã præclare scripsit Sec. xii. Hugo de S. Vi&t. l. cit. c. 26.


LI. Deniq; quod illâ casuû reservationem attinet, Tridentini nobis nondum persuadent, eam divinæ autoritati esse consonam, adeoq; coram Deo vim habere. Sicut enim Christus omnibus Apostolis suis potestatem solvendi seu remittendi peccata ex æquo contulit; sic & omnes ipsorum successores s. Ecclesie ministri, pari, quantum ad hanc rem pertinet, jure & potestate gaudent. Quos itaq; unus, licet gradu infimus, solvere non potest, illos nec solvere poterit summus, & rursus, quos solvere potest summus, illos et. solvere potest infimus; cū omnes quoad ea, quæ muneri Ecclesiastico annexa, sint pares, nec unus præ alio ullam prærogativam jure divino habeat. Sed tantum de Præsentia.

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS





96789


AB: 96789

ULB Halle 3
005 835 186



Vb 17







24.

DISPUTATIO SEPTIMA
DE
POENITENTIA

Q V A M

D. O. M. A.

PRAESIDE

BALTHASARE CELLARIO
SS. THEOL. D. PROFESSORE
ORDINARIO ET SUPER-
INTENDENTE

Ad diem XXX. Augusti.

Publico examini subicit

IOHANNES LVPKE
Hannoveranus.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.
Anno 1761.

